

commus et parodus diligenter considerati necessario docerent Hypsipylam a liberis disiunctam esse ante caedem Lemniam“. (Hoc falsum esse iam supra demonstrare conati sumus). „Eo magis igitur quod hic legimus *'Αργώ με τὰ τόνδ' ἥγαγ' εἰς Κόλχων πόλιν.* Sic videmus etiam qua vi Hypsipyla dixerit (60 I 13 sq.): *οὐ πρῶτοι — | τὰ παῖδες.* Iason igitur sciente Hypsipyla liberos in Colchorum terram secum duxit. Quod cum Euneus obiter memorat aptissime Hypsipyla respondet: „ja wohl, fort von meiner Mutterbrust“. Parvuli ergo erant pueri. Tamen Argonautas totum annum Lemni moratos esse necesse est. Quod optime congruit cum Ovid. Her. 6, 56, ubi duo annos Lemni fuisse dicuntur“.<sup>1</sup>

His Mahaffy sic respondet: „Quare tandem ex verbis *ἀπομαστίδιον* κτλ. colligis eos infantes adhuc fuisse quo tempore Argo eos vexit, atque ideo navem eos in Colchorum terram transportavisse, non Iolcum in reditu? Iasone Lemno abeunte pro certo admodum pueri erant, fortasse etiam nondum erant nati. Tota expeditio unius anni tempus excessisse non necesse est, ita ut Argonautarum reditu lactentes adhuc fuisse possint. *Ἀπομαστίδιον* κτλ. non eam habet vim ut Hypsipyla re nota audita dicat ‘at tamen lactentes etiam abducti sunt’ (— with her consent, and on the wild-goose chase of the Argo to Colchis, lepide addit Mahaffy), sed re prorsus nova cognita, nempe Argo pueros avexisse, exclamat: ‘attamen — quamvis patris domum — procul a matris pectore’.“<sup>2</sup>

Vidimus igitur ut Robert verbose sane demonstrare conatus sit falsam esse coniecturam quae neque audax est, si litterarum ductus spectamus et scribae errorem corrigit, quem Colchorum terram — ‘so prominent a name in the legend’ (Mahaffy) — pro Iolco scripsisse nihil est quod miremur<sup>3</sup>.

1. Hunc locum Robert conferre non debebat, nam ex versibus sequentibus apparet Iasonem ante pueros natos profectum esse.

2. Pro vocabulo *ἀπομαστίδιον* legendum censeo *ἐπιμαστίδιον*, cf. ad 64 II 94.

3. Observandum etiam est apud tragicos plus semel mentionem fieri terrae Colchorum (e. g. Aesch. Pr. 415, Eur. Med. 2), sed ubi urbs Colchorum commemoratur? At Ioleus urbis nomen occurrit apud nostrum (Med. 484, Alc. 249). His deliberatis ne Robert quidem textum servare